

cunque peccatum, quantumcunque ueniale, exprimere, hic absoluti sacramentaliter non debet, licet antequam obmutesceret, petierit confiteri, & signa contritionis ostenderit, quamuis † text. in cap. is qui. 26. q. 6. contrarium uideatur asserere, dum inquit: accipiat penitentiã, quia intelligendus est non de absolute sacramento, sed de absolute excommunicationis, ut sentit glo. quæ allegat text. in cap. à nobis, el. 2. de sentent. excommun. ita Sotus in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 5. Nauar. cap. 26. num. 28. Potest tamen dari uaticum, si aliquod signum cõtritionis ostenderit, nisi timeretur de uomitu, & à fortiori sacramentum Extremæ unctionis, & absolutio à quibuslibet censuris, ut colligitur ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 7. in articulo mortis, si & quatenus illas incurrerit, d. cap. à nobis, Nauar. qui supra, nu. 27. & capit. 27. num. 270. uers. 2.

8 Quartus casus est de † sacerdote, qui est in culpa mortali, nam etiam si est in introitu missæ, quando est in altari, si sit memor illius culpæ, satis est, ut habeat contritionem, & propositum confitendi, ut possit inceptum perficere, D. Tho. 3. par. q. 83. art. 6. ad secundam. sed si sine scandalo posset, deberet illam ante secretam confiteri, quod uidetur posse procedere in missa maiori, & ita uidi apud nos hoc exerceri. [Dixi propositum cõfitendi, scilicet quam primum. i. antequã die sequenti Eucharistiam suscipiat, uel sublata omni causa suspitionis, & infamiae: nam si subito absoluto sacrificio teneretur, in famaret seipsum, quia circumstantes suspicari possent, uel ante missam, uel in missa aliquod mortale cõmississe.] Sed quid si illa culpa ad eum illi cordi inhæreat, ut pœnitere nequeat, cuius certe si memor fuisset antea, non celebrasset: tunc omnino abstinere debet, etiam si summum afferret scandalum. Sotus dist. 13. quæst. 2. art. 6. uers. secundus effectus. † sacerdos uero si post consecrationem recolit se esse excommunicatum, potest peragere diuina mysteria, cū pro-

posito tamen humiliter absolute tendi: nam tunc per inuisibilem Iesum Christum absolute consequitur, quãtum ad hunc actum, quod peragat diuina mysteria: & hoc ea ratione, ne sacrificium maneat imperfectum, 7. q. 1. cap. nihil. unde celebrando, cum sit quo ad illum actum absolutus, non efficitur irregularis, Syluestr. in uer. Eucharistia, 2. q. 7. Quod secus dicendum ante consecrationem, nisi graue scandalum timeret, D. Tho. qui supra, ad secundum: & ratio est, quia quando difficultas occurrat in celebrando, minus periculum est subeundum, maximum autem periculum est, quod sacramentum imperfectum maneat, d. cap. nihil. & ideo si post consecrationem recolit se esse excommunicatum, uel non ieiunum, satis est ut conterat, D. Thom. qui supra, Sotus dist. 13. q. 2. artic. 6. 3. col.

10 Quintus casus est necessitas ecclesiastici præcepti, ut necessitas † communicandi in die Paschatis, & tunc aut penitens non habet casus reseruat, aut habet. In primo casu, quando casus reseruat non habet, ut si quis in die Paschatis intuenit se, ubi non habet proprii sacerdotis copiam, qui eum possit absolute, potest per solam cõtritionem absque confessione suscipere Eucharistiam, glo. in d. cap. de homine, extra de celeb. miss. modo propositum habeat peracta communione, uel sacro, quam primum confiteri, alias si non confiteretur, peccaret mortaliter, per Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. [Hæc tamẽ propositio uidetur falsa: quia præceptum de præmittenda confessione ante Eucharistiam est diuinum, præceptum uerò de communione in die Paschatis est duntaxat ecclesiasticum: quare primum potius, quam secundum est seruandum.] Pariter sacerdos iter faciès die festo, quo est præceptum audiendi sacrum, poterit ipse solus contritus celebrare. Sed neque hæc propositio est uera, quia hoc præceptum est ecclesiasticum, & illud de præmittenda confessione diuinum. Aut uerò penitens † habet casus reser-